



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Apparatus Doctrinae Sacrae**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

Caput 1. Praxis pro artificio Memoriæ & dispositione Dictionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38464**



PARS PRIMA  
APPARATUS  
ET  
PRAXIS FORMÆ  
PRO  
DOCTRINA SACRA  
IN CONCIONE PROPONENDA.

CAPUT I.

*Praxis pro artificio Memoria, & dispositione  
Dictionis.*

I. Onuslum est, si orium suppetat, praestitum pro incipientibus, totam Dictionem scripto deducere, & in tria aut plura puncta dividere: & memoria causa singula puncta concludere cum aliqua Sententia que habeat aliquam connexionem cum initio puncti sequentis.

Pro Concionatore impedito, aut multum exercitato, necesse est puncta saltem summatis annotare, scribendo breviter praecipuas capita & membras sui discursus; ut est sententia, exemplum, similitudo, & scopus sive fructus ad quem intendit Auditores permoveare.

II. Artificium autem memoriae consitit in Imagine quadam rei dicendæ certo loco per imaginationem constituta, que dum recolitur, materiam, cum qua similitudinem haberet, facile in memoriam reducit. Exempli gratia: Concepis Aulam aliquam ejus omnes partes, & partium ordinem optimè nostrum & perspicuum habes. Si prima pars tua dictionis agat v.g. de Navigatione hujus vite ad portum salutis æternæ, posuis per Imaginationem in primo loco istius Aulæ, Anchoram tenui filo pendulam, ut ea cognitâ, materia tua que est de navigatione, memoriae occurrat. Si secunda pars sit v.g. de Militia hominis contra tentationes mundi, pro ea secundo loco stituis militem gladium vibrantem. Si tertia pars sit, de Victoria tentationum, tertio loco appendis coronam: & sic pro reliqua materia, apponenda est imago aut signum, quod judicas maximè idoneum ad suscitandum vivam sequentis materiae memoriam. Et ideo utendum est imaginibus vividis, & aliquid agentibus, que possint animum tuum vivaciter ferire.

III. Alia praxis est, in margine dictionis descriptæ, quinque aut sex locis appingere quales dixi notas, cum

R.P. Arfdek. Tom. III.

diversis materiae partibus connexas; aut, quod facilius est: Vocabula diversa in margine scribere, que ordinem, & diversitatem materiae significant. Possuntque ea vocabula in unam sententiam, aut versum redigi, ut, sicuti memoria fallat, sententia illa indicet quoisque ventum sit, & quid sequi debet. Exemplum talis versus aut sententiae sit, si dispositisti materiam de humilitatis prestantia: & illa v.g. fuerit i. quam Deo grata, 2. quam homini jucunda, 3. quam utilis saluti æternæ: Redigas puncta illa ad unum brevem versiculum, aut sententiam v.g. *Grata Deo, jucunda homini, poresque salutis*: aut ad quamcumque idoneam simili ordine familiarem tibi sententiam: & sic in quavis materia, inde experieris à cursu materiae preparatae memoriam non facile aberraturam.

IV. Si plura nomina propria certo ordine cupias retinere, redigantur ad voculam unicam, in quantum litteræ primæ singulorum nominum suo ordine continentur. Exempli gratiâ, ut retineantur nomina & ordo partium præcipuarum S. Scriptura reducuntur ad hoc breve vocabulum, *GELNUDE*: G. Genesis, E. Exodus, L. Leviticus, N. Numerorum, D. Deuteronomium, E. Evangelia Christi quartuor.

Sed quid si quis, fallente, aut turbata in dictione memoria, nihilominino meminerit eorum quæ ad dicendum paravit? remedium occurrendi tali accidenti præcipuum erit, paratum ante semper habere locum unum communem ad quæ possit ex tempore recurere. Talis præcipue locus esse poterit de *gloria & cælestis* felicitate, aeternitate, possessione omnis boni jucundi, utilis, honesti, & carentia omnis mali omnium sensuum qui continentur hoc vericulo, *Gustus, odoratus, auditus, visus, tactus*, ut infra v. Gloria. Vel de *Infernus pœnis* aeternis singulorum istorum quinque sensuum: quæ duo possunt ferre cum quacunque materia connecti; si minus, melius est carere connexione, quam omni dictione, ex duabus autem malis minus est eligendum.